FLORA.

61. Jahrgang.

№ 28. Regensburg, 1. Oktober 1878.

Inhalt. A. de Krempelhuber: Lichenes, collecti in republica Argentina a Doctoribus Lorentz et Hieronymus. — F. de Thuemen: Symbolae ad floram mycologicam Australiae. — M. Gandoger: Rosae novae Galliam austro-orientalem colentes. (Schluss.) — Literatur. —

Lichenes,
collecti in republica Argentina a Doctoribus Lorentz et Hieronymus,

determinati et descripti a Doct. A. de Krempelhuber, Monacensi.

Praefatio.

Lichenes postea enumerati et descripti collecti sunt praeter multas alias plantas novas et raras partim a Doctore et Professore Lorentz, partim a Doctore Hieronymus Cordovae, in itineribus et excursionibus botanicis, ab his viris celeberrimis in regionibus variis confoederationis Argentinae annis 1872—1874 peractis, mihique determinationis causa communicati sunt.

Ingens territorium foederationis Argentinae, inter lat. 20—55° et long. 51—73° (Greenw.) situm, itaque per maximam partem ad regiones subtropicas pertinens, complectitur partim declivitates orientales, in summo calvas, subtus vero per partem a silvis densis obtectas, quae ab excelsis cacuminibus jugisque montium massalium, sub nomine „Andes Chilenses“ satis notorum, passim descendunt usque ad planitiem, partim vero regiones illas, per maximam partem planas, vel montanas quae,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0435-5

nunc a silvis, nunc a graminibus (s. d. Pampas), praesertim vero a regionibus s. d. Monte (Buschwaelder) omnino obtectae et vastissima La Plata, Paraguae, Parana, Uraguae, Colorado, Negro sitae a pedibus Andium usque ad oras maris Atlantici se extendunt.[1])

Sunt autem hae terrae et regiones tales, quarum vegetatio lichenosa hucusque omnino erat ignota itaque maxime fuit pro scientia lichenologica exoptatum et gratum, quod Doctores Lorentz et Hieronymus etiam huic vegetationi in itineribus laboriosis ab iis peractis rationem habuerunt. Debet his viris gratia optima scientiae.

Praecipue vero fuerunt regiones Sierra Tucreman, Cienega (vallis alta inter 7000′—8000′), porro variae regiones montanae et alpinae Andium, denique plagae circum Cordovam et Oran, ubi lichenes plurimi, postea enumerati, erant collecti.

Collectio continet in summa 110 species, inter quas 25 novas; plurimi sunt lichenes superiores, majores, foliacei et fruticulosi, praesertim Parmeliacei et Usneacei, quibus hae regiones, saltem quoad numerum speciminum, evidenter abundant, non multi lichenes minores, inferiores corticolae, pauci lichenes saxicolae, qui postremi autem, ut scripsit D. Lorentz, ibi etiam copiose proveniunt.

In generali lichenum flora in his regionibus videtur magis uniformis quam polymorpha. Excellunt praecipue Parmeliarum species tum quoad specierum numerum, quum quoad magnitudinem formositatemque speciminum, nec non Usneae nonnullae.

Lichenes novi ex. gr. *Parmelia Lorentzii* Krph., *Parm. Argentina* Krph. et al. sunt species bene distinctae, etiam *Usnea Hieronymi* Krph. est species optima nova, notabilis, verisimiliter nusquam nisi in Andibus Americae australis iterum invenienda.

Nusquam *Usnea angulata* Ach. tam copiose tamque large fructifera lecta sit, nisi in silvis montanis vel alpinis harum regionum a Doctore Lorentz.

Specimina magnifica fructifera *Parmeliae latissimae* Fée, *P. perforatae* et al. ab eodem et D. Hieronymo reportata sunt.

---

[1]) Bonam expositionem regionum plantarum in republica Argentina provenientium dedit Prof. Lorentz in opusculo: „Vegetations-Verhältnisse der Argentinischen Republik.“ Buenos Aires. 1876. kl. 8°, pp. 67. Mit 2 pflanzengeographischen kolorirten Karten.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0436-1

Notabile quoque sit, quod D. Lorentz in Andibus altis nunc denique iterum detexit et collegit *Parmeliam congruentem* Ach. veram, lichenem, ex temporibus celeb. Persoonii hucusque non inventum, itaque rarissimum. Deest fere in herbariis omnibus.

Inter lichenes collectos inferiores crustaceos elucent praecipue specimina egregia et numerosa *Lecanorae Domingensis* (Pers.) Ach., itaque haec collectio, quamvis non larga, nihilominus praebet initia prima basimque bonam Lichenographiae futurae Argentinae.

Utinam placeat illis viris doctis, jam tantopere de cognitione meliore rerum botanicarum in terris confoederationis Argentinae meritis, ut lichenes in his regionibus provenientes ulterius colligant et sic nova adducant additamenta ad illa, ab iis quoad lichenes jam comparata, inprimis vero, ut lichenes etiam inferiores, crustaceos, corticolas et saxicolas respiciant, id est, quod iis valde recommendare velimus.

Monachii, mense Septembri 1878.

Auctor.

1. *Leptogium Menziesii* Mont. Nyl. Syn. meth. p. 128.
   Ad cortices arborum inter muscos, Rio seco prope Oran. Specimina multa madore denigrata sunt.
2. *Leptogium tremelloides* Fr.
   Ad cortices, large fructiferum.
3. *Leptogium phyllocarpum* (Pers.) Nyl. Syn. meth. p. 130.
   Ad cortices.
4. *Cladonia aggregata* Eschw.; Nyl. Syn. meth. p. 218.
   Sacone prope Salta, ad terram inter muscos.
5. *Cladonia silvatica* Hoffm.
   Ad terram, non frequens.
6. *Cladonia squamosa* Hoffm.
   Ad terram.
7. *Cladonia antilopaea* v. *pulverulenta* (Del.); *Cenomyce antilopaea* v. *pulverulenta* Del.; in Decand. Botanic. gallic. tom. II. p. 626; *Clad. fimbriata* v. *antilopaea* (Del.) Nyl.
   Ad terram inter muscos. Videtur nobis bona species, a formis *Clad. fimbriatae* separanda.
   Specima haecce Argentina congruunt omnino cum archetypo Deliseano.
8. *Cladonia ceratophylla* (Sw.) Eschw.; Nyl. Syn. meth. p. 191.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0437-7

Ad terram in silvis, sterilis. Specimen unicum in collectione adest.

9. *Stereocaulon albicans* Th. Fries Monogr. Stereoc. p. 63.

Ad saxa, sterilis.

10. *Stereocaulon myriocarpum* β. *Orizabae* Th. Fries Monograph. Stereoc. p. 34.

Cienega, ad terram in silvis alpinis.

11. *Stereocaulon ramulosum* (Sw.) Ach.; Th. Fries Monogr. Stereoc. p. 24.

Ad saxa in silvis alpinis, frequens, Rio seco prope Oran, Cienega, Rio negro inter Oran et S. Andrés etc.

12. *Usnea barbata* Fr.

f. florida Fr.

Ad arbores, frequens.

f. strigosa Ach.

Cum priore, frequens.

f. glaucescens.

Apotheciorum disco glauco. — Cum typo, non raro.

f. hirta Fr.

Cum typo.

13. *Usnea Hieronymi* Krph, sp. n.

Planta, caespitem densum e multis speciminibus singulis compositum efformans. Speciminis singuli thallus erectus (alt. circ. 6—8 centim.), cinereo-virens vel virescens, ramoso-virgatus, stipites (rami primarii) ramulique teretes striato- aut papilloso- vel verruculoso-scabrida (papillis et striis albidis), subtus versus solum subnudi, nigricantes, crebre fibrillosi, fibrillis plus minus longis, scabridis, adscendentibus (non horizontalibus!); apothecia terminalia, lat. usque ad 1 centimet., peltiaut scutelliformia, horizontalia, disco pallido, margine receptaculari fibrilloso-ciliato, fibrillis longis, excipulo subtus tenuiter nervoso vel scrobiculato; sporae 8nae, ellipsoideae, simplices, hyalinae, long. 0,009—011, crass. 0,006—007 mm.

Color albissimus medullae denudatae nec hydr. Kalic., nec hypochl. calc., nec jodo mutatur.

Prope Oran, in Sierra Tucreman (Vallis alta), inter 7000—8000′, Cienega, Cuesta de Pinos, ad rupes („an Felsblöcken"). var. adusta Krph. Fibrilli versus apices plus minus nigricantes, quasi adusti, caetera ut in typo.

Ad rupes cum typo.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0438-3

Speciem hanc insignem dedicatam volumus celeber. Doctori et Professori Hieronymus, investigatori de flora Argentina bene merito comitique fideli Doctoris Lorentz.

Cel. Joh. Müller (Genevensis) credit, *Usn. Hieronymi* nostram ad eam speciem pertinere, quae a celeb. Taylor in Hook. Journ. Bot. 1847 p, 192 sub nomine „*Usnea densirostra* Tayl." (lichen nobis plane ignotus) descripta est. Sed diagnosis hujus speciei ibi data tantum pro parte in *Usn. Hieronymi* nostram quadrat, itaque adhuc valde in dubio haeremus, an judicium illum Müllerianum (in archetypo non visum) vere sit justum. Non prius autem, nisi archetypo *Usneae densirostrae* Tayl. viso de specie nostra dijudicemus.

14. *Usnea angulata* Ach. Nyl. Syn. meth. p. 272.

Prope las Cânas in provincia Calamaroa, ad arbores, frequens in silvis torridis, sed raro fructifera.

Specimina a Doct. Lorentz lecta omnia large fructifera, pulcherrima!

Medulla denudata hydrate Kalico rubescit.

f. ferruginea Krph.

Color thalli totius ferrugineus. Nescimus, an specimina haecce colorata in statu naturali inventa sunt, anne specimina collecta typica serius madore ferruginee sint colorata.

15. *Alectoria bicolor* (Ehrh.) Nyl. Syn. meth. p. 279.

Ad saxa, in Andibus, sterilis.

16. *Ramalina Ekloni* Spr. *Ramal. Yemensis* (Ach.?) Nyl. Recog. monogr. Ramal. p. 46.

Ad arbores, prope Oran et in silvis Andium, copiose; ad cactos prope urbem Concepion del Uruguay, frequens.

Dubitamus, quin *Ram. Ekloni* Spreng. Syst. veget. 4, supplem. p. 328 eadem res sit, ac *Ramal. Yemensis* Ach. Lich. univ. p. 602; Syn. pag. 296. Specimina ab lichenologis (etiam a cel. Nylandero) sub nomine *Ramal. Ekloni* Spr. divulgata minime quadrant in descriptionem, ab Achario l. c. de *Ramal. Yemense* sua datam.[1])

---

[1]) *R. Yemensis.*

„Laciniis elongatis angustis linearibus subsimplicibus utrimque laeviusculis; apotheciis minutis subsessilibus marginalibus, disco plano albissimo pruinoso."

„Habitat ad ramos fruticum in Yemen Arabiae. Forskahl." Descr. „Pulchra et tenella varietas (sc. *Ramal. fraxineae*) nec, ut videtur, propria species. E fixura communi egrediuntur laciniae plures plerumque simplices

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0439-1

17. *Ramalina fraxinea* (L.) Ach.; Nyl. Recog. monogr. Ramal. p. 36.

Ad arbores, Sierra Tucreman, frequens.

18. *Ramalina asperula* Krphb. in Verhandl. der k. k. zool. bot. Gesellsch. in Wien. Jahrg. 1876. pag. 441.

Ad ramos ramulosque arborum, passim.

19. *Peltigera polydactyla* Hoffm.

Sacone prope Salta, ad terram inter muscos.

var. *dolichorhiza* Nyl. Syn. meth. p. 327.

Ad basim arborum a muscis obductam, et ad terram inter muscos.

20. *Sticta Gaudichaudii* Del. Monogr. Stict. p. 80; Nyl. Syn. meth. p. 345; *Stictina quercizans* v. *Gaudichaudii* Nyl. Consp. syn. Stict. p. 5.

Corticola, inter Oran et Sct. Andrés.

21. *Sticta Kunthii* Hook.; Nyl. Syn. meth. p. 342.

Corticola (Unicum!), Rio negro, inter Oran et Sct. Andrés.

22. *Sticta aurata* Ach.; Del. Monogr. Stict. p. 49; Nyl. Syn. meth. p. 361.

Corticola.

Specimina pulchra, interdum fructifera.

23. *Sticta quercizans* Ach.; Nyl. Syn. meth. p. 344.

Corticola, in silvis prope Oran.

var. *Peruviana* Del. Monogr. Stict. p. 88.

Corticola, ibidem.

24. *Sticta damaecornis* Ach.; Nyl. Syn. meth. p. 356.

var. *sinuosa* Pers., Nyl. l. c.

Corticola.

25. *Sticta Ambavillaria* (Bory) Del. Monogr. Stict. p. 76, tab. 6, fig. 21 (icon bona!); Nyl. Syn. meth. p. 346.

Corticola, large fructifera.

Specimina fortuito (verisimiliter aqua marina) madefacta, colorem assumserunt obscurum, immo nigricantem.

26. *Parmelia Borreri* (Turn.) Ach.; Nyl. Syn. meth. p. 389.

var. *allophyla* Krphb.

---

lineares vix supra unciam longae, 1—2 lineas latae, versus apicem attenuatae, non ita rugosae vel lacunosae ut in vulgari (*Ram. fraxinea*). Apothecia minutula in omni thalli margine subsessilia et rarissime in ipsa pagina laciniarum occurrentia, disco plano albo veluti glaucescentia quadam pruinoso, margine elevato glabro integerrimo pallido cincta." Ach. Lich. univ. p. 602.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0440-2

Ad truncos et ramos arborum, frequens et plerumque large fructifera, differens a typo receptaculo apothecii firmiore non sorediosо-dissoluto, marginibus loborum thalli non sorediato-limbatis, superficie thalli plus minus ruguloso et inaequali, a punctis sorediosis albis pseudocyphelloideis frequentissime adspersa. (Huc pertinet verisimiliter *Parmelia subaequans* Nyl. Lich. Capens. in Linnean Soc. Journal 1876, vol. XV., planta, secundum notas diagnosticas ab auctore datas, ut species nova vix agnoscenda).

Medulla denudata hypochlorite calcico rubescit, sed non in omnibus speciminibus. Sporae ellipsoideae, hyalinae, long. 0,018—019, crass. 0,009—0,011 mm. —

Forsan species propria.

27. *Parmelia taractica* Krph. sp. n.; *Parmelia congruens* Ach. Nyl. olim in litt. ad Krempelh.

Thallus stramineus, membranaceus, versiformis, irregulariter vel orbiculariter dilatatus, subtus fuscescens, rhizinis brevibus consitus, laciniae planae, sinuato-pinnatifidae, imbricatae, marginibus crenatis, hinc inde protensae, multipartitae deinque angustae et convexae et implexae; apothecia sparsa, sessilia, primum clausa, dein urceolato-scutellata, margine integro, disco fusco aut hepatico; sporae 8nae, minutae, ellipsoideae, simplices, hyalinae, long. 0,008, crass. 0,006 mm.; paraphyses breves, firmae, grumosae, non bene conspicuae, capitulis fuscescentibus.

Medulla thalli denudata hydrate Kalico ex aurantiaco rubescit.

Regiones alpinae Andium, ad terram, inter gramina.

Sine dubio species bona, non commutanda cum *Parmelia congruente* Ach., quacum similitudo adest tantum exigua.

(Continuatur.)

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03648-0441-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1878

Band/Volume: 61

Autor(en)/Author(s): Krempelhuber August von

Artikel/Article: Lichenes, collecti in republica Argentina a Doctoribus Lorentz et Hieronymus 433-439